

## INCIPIT &lt;DE AERE ALIENO MILONIS&gt;.

... et Hypsaeus, quo anno etiam P. Clodius Pulcher,  
 inimicus eius, in praeturae candidam venerat; idem  
 cum petitioni Milonis adversaretur et comitia multo et  
 5 vario ambitus genere turbaret, quo magis Hypsaeus et  
 Scipio consules designarentur, Milo autem repulsam  
 ferret, per hos dies senatus convocatus est. Aput quem  
 P. Clodius invectionem sibi non tantum contra Milonem,  
 verum etiam contra ipsum M. Tullium contumeliosam  
 10 simul atque asperam depoposcit, ut ambitum moveri  
 ab eo diceret, quoniam multis erga rem p. meritis prae-  
 valeret, vim moliri etiam per armatos homines crimi-  
 naretur, ad extremum longe minus, quam haberet, aeris  
 alieni esse professum: nam sestertium sexagies in aere  
 15 alieno se habere professus Milo secundum veterem con-  
 suetudinem fuerat. Cum igitur obnixè contenderet Clodius  
 non oportere <consulatum petere>, qui magno aere alieno  
 defaeneratus praedae videretur habiturus esse rem p.,  
 contradixit eius insectationi M. Cicero, qui familiaritate  
 20 praecipua Milonem diligebat ob id vel maxime meritum,  
 quod restitutionem suae dignitatis ab eodem tribuno pl.  
 meminerat adiutam. Quanto autem odio habuerit P. Clo-  
 dium, iam compertum est ex orationibus illius, quibus eius  
 vitam moresque dilacerat. Ex iurgio itaque, quod inter  
 25 se moverant, oratio ista composita est; cuius inscriptionis  
 titulum, priusquam commentari adgrediar, explanandum  
 puto non ab re existimans futurum [non] lectoribus,